



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III. de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XX. Romana seu Bobonien. litterarum cambii. Cujus periculo cedat decoctio, An mandantis seu scribentis litteras cambii post illarum acceptationem, vel mandatarii qui litteras acceptavit & adhuc ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74112)

Omissa igitur dicta inspectione, moveor ad sentiendum contra creditorem, quia in hoc puncto, an scilicet per solutionem partis debiti cesset in totum contractus, verius est spectandam esse verisimilem partium voluntatem, & an per solutionem, eisque respectivè receptionem intellexerint à toto contractu recedere, remanente residuo in puris terminis debiti *Cenc. d. quast. 107. num. 2. & 4. Mer. lin. d. decis. 69. num. 29. & dec. 822. num. 5. & seque. Adden. ad dictam dec. 454. par. 4. rec. tom. 2. n. 61. & seq.*

In casu autem de quo agitur, plura concurrere videntur, ex quibus verisimilis partium intentio fuerit resolvendi totum contractum, & præsertim quia integra fors principalis scutorum mille prout accepta fuit, ita restituta, & de ea reportata quietantia, ita ut nil penitus remaneret debendum de ea, quæ verè & originaliter est fors principalis, pro qua contractus initus fuit; Residuale verò debitum ex causa cambiorum, licet ex juris subtilitate & fictione loco fortis ad effectum recambiandi habeatur, de facto tamen & omnium opinione habetur tanquam debitum fructuum, ac etiam Rota sæpius tanquam fructum habere seu nuncupare solet, Unde non intrat illa ratio, quæ militat in casu dictarum decisionum, in quibus, vel major, vel satis notabilis pars fortis remanebat non restituta.

Clarius quia ubi aliqua verè & originaria fortis portio debenda remanet, debitor est certus se esse illius debitorem, atque non solvendo dicitur in mora inexcusabili, ex qua æquum non est, ut com modum reportet in præjudicium creditoris novlentis illam fortem tenere otiosam, ideoque non mirum si Rota ex æquitate hanc sententiam in dictis casibus sequuta est; Non sic in isto residuali debito cambiorum & recambiorum, quod incertum remanet ac illiquidum, ita ut iustè debitor credere potuerit se non esse illorum debitorem, ideoque, vel non intrat mora, vel ab ea excusatur, quia semper excusandus est debitor, qui ante non solvit quam sciret quantum deberet *l. 3. ff. de usur. l. non potest de regul. jur. cum concord. per Leonar. de usur. qu. 84. num. 1. & seq.*, & est in jure vulgaris propositio.

Licet enim cambia fiat limitata ad rationem decem pro centenariis, hæc tamen limitatio facta est ad effectum, ut dictam summam excedere non valeant, secus autem si sint minora, quia tunc in minori summa debentur, ut expresse conventum legitur in instrum. & est de jure indubitatum, nam aliàs esset cambium siccum & usurarium, cum iste contractus eatenus ab usura salvetur, quatenus sub se contineat periculum, ut nulla accessio, quinimò fortis principalis diminutio & creditoris jactura adesse possit, ut haberetur sæpius hoc eodem titulo; Unde propterea dum debitor à creditore certificatus non fuit, quid & quantum in singulis nundinis cursus cambiorum importaverit iustè credere potuit, se ad aliud non teneri nisi ad cambia soluta.

Accedente præsertim contraria observantia deducta ex longo creditoris silentio, per quod, per argumentum à contrario, rectè intrant ponderata apud Merlin. *d. decis. 822. num. 7. & seq. & decis. 851. num. 5. & 6. Cenc. d. qu. 107. num. 7. & 8. Adden. ad d. decis. 450. num. 64. & seq. par. 4. rec. tom. 2.*, Atque iniquum esset ut debitor, qui ex longo creditoris silentio putat totum solvisse, ac nihil debere, patiatur supplantationem cum longo cursu cambiorum & recambiorum, quem

de facili ab initio evitare potuisset solvendo residuum fructuum, dum totam veram fortem restituere curavit.

Considerandus quoque venit sensus mercatorum, quod in cambijs limitatis non datur recambium, ut alia occasione à pluribus mercatoribus peritis & fide dignis audivi; Sed super hoc nihil firmandum duco, cum puncti necessitas non postulet.

## ROMANA

SEU

BONONIEN.

LITTERARUM CAMBII

PRO

FEDERICIS FLORENTIÆ

CUM

MONTHIONE & ALIIS MERCATORIBUS  
URBIS.*Discursus ad veritatem in Congregatione.*

Cuius periculo cedat decoctio, An mandantis seu scribentis litteras cambij post illarum acceptationem, Vel mandatarij qui litteras acceptavit & adhuc non implevit, Vel eius in cuius gratiam scriptæ sunt.

## SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Quando decoctio scribentis litteras cambij cedat damno mandatarij acceptantis, vel adjecti, distinguitur.
- 3 Quis in proposito dicatur mandans, & quis mandatarius, & de personarum diversitate in hac materia concurrente.
- 4 Considerantur casus novæ in questione de qua num. 2.

## DISCURSUS XX.

Catalanus Bononiæ mercator quædam tractas fecit Federicis Florentiæ mercatoribus, de quibus jam ab eis impletis dedit manibus, ut se reintegrare deberent supra se à Monthiono Urbis mercatore ejus correspondenti, cui iidem Federici duas tractas fecerunt de æquivalenti aliis eorum correspondentibus solvendas, per d. Monthionum per Catalanum certioratum acceptatas, unam scilicet sub die 3, & alteram sub die 10. Martij 1663. Cum autem hoc intermedio tempore inter dictas duas acceptationes, sub die scilicet septima ejusdem mensis sequuta esset dicti Catalani mors, quæ ex improviso eius insperatam decoctionem, vel detexit vel accidentaliter causavit, Hinc Monthionus de his certioratus, priusquam etiam primæ tractæ usûs maturaret, recusavit eas implere; cumque dictis Federicis principaliter eas impleri interesset, dum aliàs ipsi reintegrare tenerentur eos, quibus erant directæ, Idcirco in Advocatorum

congressu pro eruenda veritate desuper habito distinguere tractas prædictas, atque super prima dicebam illos bonum jus fovere, malum verò super secunda.

Cum enim prima tracta acceptata esset sub die 3. Martij, & sic per quatuor dies antequam sequeretur decoctio, ita dicta acceptatio sequuta dicebatur in tempore habili, quando mandatum per mortem civilem mandantis non expiraverat, & consequenter decoctionis periculum erat mandatarij, qui litteras acceptaverat juxta *decis. 303. Franchi*, quam ceteri communiter sequuntur, ut constat ex deductis per *Capyc. latr. consult. 42. num. 10. & seqq.* ubi bene *et decis. 196. num. 24. & seqq.* ( licet hic incidenter ad aliud propositum ac non multum digestè, ) *Rocc respons. 17. num. 1. lib. 1. optimè Rotam in Romana litterarum Cambij 16. Martij 1640. coram Coccino, in Romana seu Neapolitana litterarum cambij 9. Junij 1653. coram Dunozetto inter suas decis. 940. in quibus agitur de casu converso, & admittitur in alia Romana seu Neapolitana de qua infra.*

Clarius verò ac indubitanter, quia decoctio non proveniebat vivente mercatore ex illa bonorum & effectuum deficientia, quæ per plures dies præcedentes prævideri potest, & frequentius solet quo casu pro ratione dubitandi intrare potest aliqua fraudis & collusionis suspicio inter mandantem, & eum, cui solutio faciendæ est ad supplantandum mandatarium seu corresponsalem ut est casus de quo *infra in dicta Romana seu Neapolitana*, cum Catalanus prædictus pro toto tempore quo vixit, non solum communi hominum opinione, sed etiam ipsa re idoneus esset, ejusque decoctio sequuta esset per mortem, quæ causa fuit, ut ejus ministri vel domestici (ut publica fama erat) pecunias, gemmas, & alia, quæ negotio parata tenebat, occuparent, undè propterea casus remanebat planus.

Super secunda verò tracta, cujus acceptatio sequuta fuerat re non integra, & post jam expiratum mandatum per dicti mercatoris mortem, tam naturalem quam civilem ex decoctione resultantem; Quamvis *Scacc., Amat., Monac., Mastrill.*, & cæteri allegati in supradictis Rotæ decisionibus, & per *Capyc. Latr. dicta consult. 42. Rocc. cons. 10 lib. 1. Merlin. lib. 2. contror. 11.*, in distinctè teneant contra acceptantem, quasi quod ita pro scribente fideiussisse potius videretur, atque debeat esse periculum decoctionis illius, qui decocti fidem sequutus est; Arque agentes pro dictis Federicis constanter assererent Florentiæ, & in alijs Civitatibus mercantibus talem esse mercatorum opinionem & usum, quoties ille, cui tractæ implendæ sunt, non esset decoctionis actualis vel imminentis conficius, ita ut fraudis & collusionis suspicio absit; Nihilominus juxta magis communem & receptam opinionem, de qua apud proximè allegatos, qui alios cumulant, & in dictis Rotæ decisionibus, distinctio est, quod Aut de tempore acceptationis verisimiliter cognitus esse poterat, & tunc sibi imputandum est, ita ut dicto casu non obstante, ad solutionem litterarum cambij quas acceptavit, teneatur, Aut cessat dicta verisimilis notitia, & debeat excusari, cum ejus acceptandi animus censeatur rebus in eadem statu permanentibus, & cum præsupposito integritatis mandantis: Undè propterea quando esse in isto casu præciso, quia nempe litteræ scriptæ essent ab ipso Catalano postmodum decocto, juxta hanc secundam opinionem in Curia Romana receptissimam, concludebam desperatum opus videri super hac secunda tracta judicia-

lem controversiam assumere, sed contentari debere implemento primæ, ad quam ex ejus sapientium consilio Monthionus se offererat, dummodò liberationem ab hac secunda concorditer obtineret.

Difficultas tamen erat, quod reverà non verisimiliter in casu præciso, de quo allegata auctoritates & decisiones loquuntur, ubi scilicet tres tantum personæ sunt in scena, nempe scriptor litterarum, qui mandantis personam gerit, ille cui sint directæ earum acceptator, qui mandatarius dicitur, & adjunctus, cui solutio demandata est, sed quatuor personæ interveniunt ut supra, atque illa scribentis seu mandantis directi seu immediati gerebatur per Federicos in bono statu existentes, qui propriè in sensu omnium dicuntur mandantes, ex deductis per *Fab. de Ann. cons. 82. Surd. cons. 528. Gair. de credito cap. 2. tit. 7. num. 2396. & sequen., & alios*, de quibus supra, Undè propterea insinuabam potius esse in casu de quo agunt *Bursart. cons. 39. num. 5. & sequen., & Gair. dicto cap. 2. tit. 7. num. 2391. & sequen.*, ubi scilicet Titius scribit Sejo, quod solvat Cajo supra se ad computum Sempronij, Tunc enim licet directè & propriè Titius sit mandans, & Sejus sit mandatarius, Attamen quoad istum in substantia mandantis persona potius geri dicitur per Sempronium, cujus nomine tanquam medium seu instrumentum & organum, Titius mandatum dare dicitur, ita ut periculum decoctionis Sempronij mediati mandatoris damno Seji mandatarij non autem Titii cedere debeat, nisi acceptatio, vel solutio fiat sub protextu.

Et hoc tamen dicebam prætendi posse evitari strictam applicationem dictarum auctoritatum, & decisionum, atque non omnino improbabili ter aleæ experimentum in iudicio tentari ex diversitate, ac novitate casus; Verùm adhuc dubitabam, ideoque mea fuit opinio, cui ceteri adhæserunt, quod Monthiono implente primam tractam, super qua res videbatur plana, super hac secunda non respuerent eam qualem qualem concordiam quam obrinere possent, ut credo sequutum esse, quoniam licet casus sit diversus, attamen eadem est ratio, atque in effectu idem concursus trium tantum personarum inesse videtur, illa scilicet mandantis representata per Catalanum, in cuius computum solutio faciendæ erat, & illa mandatarii representata per Monthionum: Federici verò, qui litteras scripserant, in effectu gerere dicebantur personam adjuncti, cui faciendæ erat demandata solutio. quamvis hæc per istos tanquam per speciem giratæ alteri demandata esset, Undè casus parum diversificare videbatur, atque eadem vigebaratio expirationis mandati, & deficientis voluntatis in acceptante.

